

*Hinc Hydrus, Crater, Corvus, Centaurus, & Am.*

*Lupus cum Serto, Piscis, quibus adde latentes:*

*Hic Dorado, Piscis volucris, Crux atque Triquetrum.*

*Musca, Chameleo, post Apis Indica, Pavo & Indus.*

*Grus, Phœnix, Toucan, Hydrus, cum Nubibus, Unda.*

*Ipsas imagines cum potioribus Stellis suis ordine sistit Iconismus Aquilæ Romanæ qui videatur. Pro discernendis enim in cælo Stellis plus subsidii largitur, quàm Globus perfectus.*

§. 3. Extra has imagines, quotquot Stellæ fixæ cadunt, *informes* dicuntur, & *sparsæ*. Utræque tamen, formatae nimirum & *informes*, ratione magnitudinis apparentis, in sex ordines distinguuntur, ita ut maximæ dicantur *primæ magnitudinis*, minimæ *verò sextæ*.

*Præter has, innumerabiles aliæ visu naturali seorsim inconspiciæ, quod concursu suo nubeculam aut striam albicantem in cælo referant, obscuræ dicuntur, & Nebulosæ, quales tum sparsim in Cancro, Capricorno, Perseo, aliisq; ; tum tractu quasi continuo in Galaxiâ spectantur, quæ nihil aliud est, quàm congeries minutissimarum Stellarum visum distinctum subterfugientium, & opticâ constipatione zonam albicantem in Cælo referentium. Quod si tamen Telescopium in auxilium adhibeatur, tantò plures in quavis nubeculâ etiam seorsim clarè sunt conspicuæ, quantò perfectius est instrumentum.*

II.

## *De Planetis.*

§. 4. Propiores quædam Stellæ, quietiori, adeoque mutua-  
titio, sed ampliori, lumine conspicuæ, *Saturnus, Jupiter, Mars, Venus, Mercurius, Luna*, dictæ, quin & ipse, qui solus diem facit, inde dictus *Sol*, *ERRATICÆ*, sive *PLANETÆ*, vocantur, non quod sine certâ lege vagentur, sed quod inconstantem tum inter se, tum inter fixas, habeant situm.

*Etenim licet sub duodecim illis animalium configurationibus in Cælo, quæ Zodiacum constituunt, perpetuò conspiciantur, alias tamen atque alias ibi Stellæ ordine quo sibi per circulum succedunt, vel proprio motu, vel tergiversando saltē, assequuntur, cum quibus tanquam comitibus diurnis, aliis semper atq; aliis, communem mundi conversionem exercent.*

§. 5. SOL